

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

De Divina Psalmodia, Ejusque Causis, Mysteriis, Et Disciplinis, deque variis  
Ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis Divinis Officiis, Tractatus,  
Historicvs, Symbolicvs, Asceticvs. Sive Psallentis Ecclesiae Harmonia -  
Opus novum, & curiosum, ac multiplici eruditione illustratum ... Operum ...

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1678**

§. 7. De Ritu Praedicatorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9929**

## §. VII.

## De ritu Prædicatorum.

I. **I**llustrissimus Prædicatorum Ordo à Canonicis  
Præmonstratensibus, ut D. Augustini Regulam,  
ita & psallendi ritum accepit. Sed viri doctrina, & san-  
ctitate eximii eos usus in quibusdam mutarunt. Ad  
Primam tres Psalmos recitant, *Deus in nomine tuo, Bea-  
ti immaculati, Retribue*: diebus vero Dominicis à Se-  
ptuagesima usque ad Pascha, novem: videlicet Deus  
*Deus meus respice in me, Dominus regit me, Domini est  
terra, Ad te Domine, Iudica me, Deus in nomine tuo,*  
*Dominus regnavit de cõrem indutus est, Beati immaculati,*  
& *Retribue*: quo etiam tempore dicitur ad Laudes Psal-  
mum 121. *Confitemini, loco Psalmi iubilate.* Reliquo  
anni tempore dictos Psalmos quos Romani distribu-  
tos per ferias dicunt ad Primam, isti omittunt. Marty-  
rologium legunt post Laudes, sed cum Matutinum ves-  
pere diei præcedentis dicitur, tunc legitur post Pri-  
mam. In primis Vesperis solemnitatum hos Psalmos  
concentunt, *Laudate pueri Dominum Laudate Dominum  
omnes gentes, Lauda anima mea Dominum, Laudate Do-  
minum quoniam bonus est Psalmus, & Lauda Hierusal-  
alem Dominum.* Hymnos Completorii variant pro ratio-  
ne temporum, & in fine horarum semper dicunt An-  
tiphonam *Salve Regina*, & alteram de sancto Domini-  
co cum quibusdam precibus. Extra Adventum, & Qua-  
dragesimam Officium feriale ter, vel quater in Hebdo-  
mada omittunt, recitant enim de S. Dominico, de san-  
ctissimo Sacramento, de B. Virgine, & de sancto titu-  
lari Provinciae. A die Paschatis usque ad Trinitatem  
tribus Psalmis totidemque Lectionibus nocturnas quo-  
tidie Vigilias perficiunt, quod post octavas Resurre-  
ctionis non nisi diebus Dominicis usque ad Ascensio-  
nem faciunt Præmonstratenses.